



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. CCLXII. De Discordia Civium de Riga, contra Fratres Domus
Teutonicae & Livonia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

*Conradus de Feuchtwangen X. Mag. Gen. Ord. Teut.
Meneke de Quersfurt XII. Mag. Prov. in Prussia.*

Eodem anno & tempore quo Reges solent procedere ad bella, Rex Withenus cum multitudine copiosa Lethovvinorum pugnaturus contra fratres, intravit terram Livoniae. Unde frater Bertholdus Commendator de Kunnigsberg, qui hujusmodi eventum à multo retracto tempore summo desiderio optavit, scil. cum ipse Rex terram suam sic exiret; fratrum Exercitus subintraret, congregato magno Exercitu Capitaneum fecit fratrem Henricum Zutsvert Commendatorem de Balga, ut cum dicto Exercitu procederet versus Lethoviam, dicti Regis terram vastaturus, qui cum venisset jam non longe à terra Regis, nescio quo ductus Spiritu retrocessit, impugnansque Castrum Gartham tantam Castrensiū per crebra jacula invenit resistantiam, quod, multis de Christianis graviter vulneratis, infecto negotio est reversus.

CAP. CCLXI.

De

Deprædatione quinque villarum.

Posthæc intravit Exercitus Lethovvinorum terram Colmensē, & circa castrum (a) Golubam, quinque villas despoliavit, captis & occisis ibi pluribus Christianis.

ANIMADVERSIO.

(a) Infra, castrum Golubense à Conrado Sacco sexto decimo Magistro Provinciali conditum esse refert. *Vide qua notavimus ad cap. 272. Conf. Henneb. in Comment. pag. 142.*

CAP. CCLXII.

De

Discordia Civium de Riga, contra Fratres Domus Teutonice & Livoniae.

Uu 2

Anno

*Godfridus C. de Hohenloh XI. Mag. Gen. Ord. Teuton.
Mencko de Quersurt XIII. Mag. Prov. in Prussia.*

ANno Domini MCCXVII. orta est immortalis discordia inter Cives (a) Rigenfes ex una parte, & fratres Domus Teutonice ex altera, quæ tantum invaluit quod infra annum & dimidium fratres neceffitate inevitabili cogente novem vicibus cum ipsis conflixerunt. Et quamvis in uno conflictu succumberent; in aliis tamen sunt divina Virtutis auxilio prosperati. Anno Domini MCCXCVIII. Vithenus Rex Lethovinorum ad vocationem civium Rigenfium, Castrum in Carthufen captis IV. fratribus & eorum familia expugnavit & finibus dicti Castri per incendia & rapinas devastatis, dum ad terram suam redire disponeret, frater Bruno Magister terræ Livoniæ cum Exercitu modico sequens ipsum, Calend. Junii in littore maris juxta fluvium Treyderam invasit, & liberatis de manibus hostium ferè tribus millibus Christianorum & occisis de parte infidelium (b) octingentis, Rex tandem prævaluit & magistrum cum XXII. fratribus & M. D. Christi fidelibus interfecit. Eodem anno frater Godofridus Hohenloh Magister Generalis Domus Teutonice fuit in terra Pruschie, qui fratrem Bertholdum Bruhane Commendatorem de Kunnigsberg cum multis fratribus & armigeris misit ad terram Livoniæ, fratribus ibidem in auxilium. Hi cum Exercitu fratrum de Livonia convenientes in die B. B. Petri & Pauli Apostolorum, de civibus Rigenfibus & Lethovinis qui erant in obsidione Castri Molendini novi ultra IV. milia occiderunt. In hoc conflictu quidam Pruthenus de Sambia, sicut legitur in libro Regum de Achai, stetit & percussit inimicos, quousque deficerent manus ejus, & obrigesceret gladius in mani-

*Anno Domini (a)
MCCXCVII. Frater
GODOFRIDUS de
HOHELOCH electus
fuit in Magistrum
Generalem Ordinis
Domus Teutonice &
præfuit XIII. annis.
Nec tamen inter alios
Magistros computatur,
quia in XIII. anno (b)
resignavit officium suum &
iterum temerarie re-
sumpsit.*

Gottfridus C. de Hohenloh. XI. Mag. Gen. Ord. Teut.
 Meneko de Quersfurt XII. Mag. Provinc. in Prussia.

manibus ejus. Et ut breviter concludam, nullus posset plene scribere, quanta mala de hac dissensione fidei & fidelibus sunt exorta.

ANIMADVERSIONES

AD CAP. CCLXII.

- (a) Bertoldus Cistemensis Ordinis Abbas ab Hartvico Archiepiscopo Bremensi consecratus, anno 1196. Meinhardo Episcopo Livoniae primo successit, initiumque urbis Rigensis condendae fecit; Albertus vero Episcopus Livoniae tertius, urbem, jam conditaem, mœnibus cinxit. *Vid. Matth. Zeilerus in descript. Sveciae. p. 288.* Sed Albertus Abbas Stadenfis antiquus Scriptor, nullam Bertholdi factam mentionem, hæc solum habet ad annum 1205. *Albertus Livonensis Episcopus Civitatem Rigam edificat.* Posthæc cum Rigensis urbs ejus Regiones prima & præcipua facta esset populo Commerciorumque frequens, Cruciferi variis artibus libertatem ejus labefactare, urbemque potestati suæ subicere tentabant. Obstitit eorum conatibus Joannes Quirinus Archiepiscopus Rigensis. Sed cum hunc Cruciferi in vincula conjecissent, Rigenses opem auxiliumque Vithenis Magni Ducis Lithv. implorarunt. *Vid. Matth. Striykovski Ostostevicius Lib. X. Hist. Litv. cap. 3. p. 734. Alb. Wijk. Kojalov. Part. I. Hist. Litv. Lib. VI. pag. 213 seq.*
- (b) Consentit cum Dusburgio Jeroschinus. Alia tamen Chronica antiqua habent M. & Octingentis.
- (c) Jeroschinus tantam habet quingentos.

ANIMADVERSIONES

AD VITAM GOTTFREDI.

- (a) Chron. M. S. Germ. antiq. electionem hujus Magistri refert ad an. MCCXC. At Jeroschinus eadem habet quæ Dusburgius.
- (b) Auctor Chronici Latine sub Frid. Mag. scripti, dicit, hunc Magistrum Elbingæ Magistratu sponte sua abisse, postea, cum ipsum facti pœniteret, venetias petiisse, ut Magistratum vi obtineret; in itinere autem mortuum esse. *vid. Caput 278.* Simon Grunovius Gottfridum de Hohenloh Magistrum Generalem illum ipsum esse putat, qui antea sub nomine Henrici de Hohenloh Ordini

*Gotefridus C. de Hohenloh XI. Mag. Gen. Ordinis Teut.
Meneke de Quersfurt XII. Mag. Provinc. in Prussia*

Teuton. Mag. Generalis præfuit post obitum Hermanni à Salza; refertque hanc ejus secundam Electionem ad an. 1292. die S. Andree Apostoli. Dicit autem nomen Henrici ipsum accepisse, cum Sacro baptismate tingeretur: Nomen vero Gothofredi in susceptione Ordinis suum fuisse *Vid. Grun. tractat. 10. C. 2.* Verum hæc vix probari poterunt. Ut enim tactam, usitatum hoc non fuisse, ut illi, qui Ordinis Regulae se subjicerent, nomina sua mutarent: certe tantum est temporum inter Henricum illum & hunc Gothofredum intervallum, ut unus idemque Magister esse non queat. Statuit enim Grunovius Henricum de Hohenloch an 1221. Hermannno de Salza esse suffectum, quo tempore minimum 30. annos natum esse oportuit. Deinde anno 1292. esse electum. Post hæc An. 1295. Capitulum habuisse Elbingæ. Indè se Magistratu abdicasse, itemque eundem resumissè.

CAP. CCLXIII.

De

Destructione oppidi Strasberg.

HOC anno scil. Domini M. CCXCVIII. *Anno Dn. MCCXCVIII.*
de Lethovia (a) CXL. viri tam improvisè irruerunt in die B. Michaelis in oppidum (b) Strasberg, quod totum populum & unum Sacerdotem occiderunt, mulieribus & parvulis captis & præter verecundiam, quam aliis Sacramentis fecerunt, unus purgando alvum baptisterium defœdavit; Quos frater Conradus Saccus Provincialis terræ Colmenis cum multis fratribus & armigeris secutus usque ad interiora deserti, comprehendit, & liberatis Christianis captis, omnes interfecit, sic quod unus non evasit qui talem eventum posset posteris nunciare.

ANIMADVERSIONES.

(a) CC. habet Chron. Ger. Antiq. in 4.

(b)